



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 44. Dixit ergo Petro Ancilla Ostiaria. v. 17.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

Petrum & eum ad Præsidentem ostij adducit eidem propositum inducendi Petri exponit, illa consentit & mediator Petrum introducit post consensum. Ecce omnia ritè acta & Petrus legitimè in Palatium Pontificium inductus est ut incipiente vacare Palatio per desitionem eius qui tunc erat, Pontifex designatus possessionem vacantis Palatij confestim adire possit, seu aditam tenere.

**O** Ostiaria, si tu scires quis esset qui per notum Pontifici introduceretur, quod nimirum is esset successor tui Domini in Pontificatu mox futurus & quod ille intraret ad vacaturi palatij occupandam possessionem; tu certe vel eum exclusisses vel maxima reverentia excepisses. Sed absconditum erat hoc ab oculis tuis mysterium, ideo etiam ex aliis principiis operaris; Interea Deus omnium arbiter & rector etiam per te ita cæcè agentem operatur propositum suum & implet. Quoniam ipse novit omnibus uti, etiam malis, ad optima quæque de flexis.

§. 44. *Dixit ergo Petro Ancilla Ostiaria. v. 17.*

Hactenus bene Petrus & pro Domino suo pugnavit & nolente Domino pugnam & bellum omisit, & iubente Domino abitum suorum abiit aliquantulum & zelo stimulante secutus est eum usque ad ostium aulae Pontificiæ, & discipulo qui notus erat Pontifici, cum venia ostiariæ introductus est legitimè. Iam in eo quod bene ordinatum erat à Domino pro Petro, incipit Petrus impingere & errorem committere, nam ancilla ostiaria, incipit ei loqui & ponere Petro Petram scandali.

**O** Deus quam raro humana fragilitas in optime à te ordinatis progreditur sine lapsu & scandalo! quam crebræ pedicæ & decipulæ nobis occurrunt & nos hiante ore sorbent, nisi tu Deus ipsas pedicæ occludas vel amoveas vel compescas! cunctæ creaturæ sunt hominibus in laqueum & ruinam nisi Dominus eos custodiat, ex illis etiam una est ancilla ostiaria ista, ut prò dolor videbimus.

§. 45. *Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius. v. 17.*

Sermo iste perinde mihi sonat ac si diceret. Ille vir qui te, Petre, introducit iam, discipulus est Christi, novi, & novit Dominus meus Pontifex quia notus est ei & mihi. Ego te, quia iste te introducit, etiam suspicor esse discipulum istius, cuius ipse est discipulus, vel certe huius saltem qui te introducit. idcirco interrogo te nunquid ita est? dic candidè, aves concolores lubenter una volitant & noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se, sic loquebatur ad Petrum ancilla ostiaria, quæ certe malè agebat, cum e-